

Fabula de reformationibus

Hermann Gottschewski, alias Agricola Iaponensis

In urbe quadam tria milia civium (ut adultos modo et ad res publicas agendas aptos numeremus) habitabant, qui democratiam veram habebant: omnes enim, viri et feminae, si plus quam viginti annos nati erant, ius aequale suffragii habebant, et omnes res ad urbem pertinentes in contione per maioritatem decernebant. Cives etiam vectigalia solventes pares erant: singulis annis centenos denarios fisco tradere solebant. Tamen in rebus domesticis pares non erant: Mille cives enim matrimonio coniuncti cum liberis, alii mille cum coniugibus bini, et ceteri mille singuli domos suas habebant. Duo milia domuum enim in urbe erant, quarum quingentae a familiis cum liberis, quingentae a coniugibus et mille a vitam secum agentibus habitabantur.

Quam inaequabilitatem aliquando civis quidam animadvertit. Orationem habuit coram contione; dixit rem publicam domos singulas tueri et defendere debere; mille solos viventes autem tot domos tenere quot aliorum duo milia. Itaque iis bis tantum ad fiscum solvendum esse quantum matrimonio coniunctis.

Oratio contioni placuit decreveruntque ut soli viventes inde ab hoc tempore singulis annis ducentenos denarios solverent. Decreverunt quidem cum maioritate ex tribus duarum partium contra vota secum viventium; tamen soli habitantes seditionem non fecerunt. Boni enim cives erant neque negabant nova centena milia denariûm urbi profutura esse. Ceterum assuefacti erant se voto maioritatis flectere, quia persuasi erant hoc saluti urbis ideoque sui ipsius utile esse.

Aliquot annis post in contione de ludis disputabatur. Ii enim renovandi erant, ad quod necesse erat magnam pecuniam impendere. Quamquam urbs satis fortunata erat, quibusdam displicuit tantam pecuniam pro ludis solvere; dixerunt enim ludos iis civibus tantum, qui liberos haberent, prodesse. Ceterum iam dudum multos pro ludis paucorum pecuniam solvisse; ergo plura vectigalia a familiis postulanda esse.

Petitio facta est, ut familiae bis tantum ad fiscum solverent, et suffragium habitum. Etiam haec reformatio cum maioritate ex tribus duarum partium decreta est, contra vota familiarum quidem, sed sine seditione. Nam familiis (parentibus saltem) ludi cari erant, et ad eos pulchros faciendos pecuniam solvere promptae erant. Sic post suffragium omnes cives felices erant se urbem suam gradatim meliorem reddere.

Urbs floruit neque pauperes erant cives. Divitissimi erant matrimonio coniuncti sine liberis viventes. Bini enim in singulis domibus habitantes neque liberos curantes magna expensa non habebant et totum diem ad fortunam augendam laborare poterant. Insuper post duas reformationes omnibus minus vectigalium pendebant aliis civibus. Quod dum quis animadverteret multos annos non duravisse facile aestimamus. Ergo aliquis orationem habuit postulans ut matrimonio coniuncti sine liberis vitam agentes inde ab hoc tempore bis tantum vectigalium comportarent; quod contioni placuit et maioritate ex tribus duarum partium decretum est – contra vota coniugum sine liberis, sed sine seditione. Ii enim, qui nunc plus vectigalium solvere debebant, divites erant neque propter centum denarios in egestatem devenerunt.

Nunc urbs nimis dives erat et fiscus tanto modo auctus, ut quidam proponere ausus est vectigalia omnia ad dimidium minuere; quod in contione disputatum est et omnibus tam bene placuit, ut cunctis populi suffragiis nullo recusante decretum esset. Qui hoc postulaverat ab omnibus laudatus est, et haec reformatio omnium optima esse dicebatur. Cives festivitates instruerunt ut celebrarent se nunc per quattuor reformationes omnium temporum optimum ordinem vectigalium nactum esse.

Inde ab hoc tempore quisque civis singulis annis centenos denarios fisco tradebat, et omnes cives vectigalia solventes pares erant.

(Hanc fabulam scripsi a.d. VI Kal. Aug. anno MMIX historiam revisens Universitatis meae, quae per centum et triginta annos et innumerabiles reformationes gradatim ad statum gloriosam hodierni diei pervenit; neque dubito eam, quam semper optimam fuisse scimus, etiam abhinc multas reformationes absoluturam esse: quibus cum maioritate libenter assentiamur)